B. N. C
FIRENZE
1015
23

1015. 23

XXXII
MVSC
1619

1015
AI-1

DE GRAVITATE A SACERDOTIBVS RETINENDA

Oratio

ANTONII MVSCINI PRESBYTERI.

Habita ab eodem Senis in Templo Maximo xiiij. Kalen. Sept. M.DC.XIX.

Cùm haberetur Synodus Diœceſana

Coram Jlluſtriſſimo & Reuerendiſſ. D. ALEXANDRO Petruccio Archiep. Senarum IX.



1872

SENIS, Apud Hæredes Lucæ Bonetti. M.DC.XIX.
SVPERIORVM PERMISSV.

PERILLVSTRI
ET ADMODVM REVER. D.
SCIPIONI PANNOCCHIESCO
EX COMITIBVS ILCII ET FOSINI

Antonius Muſcinus S. D.

QVAM in Senenſi Diœceſana Synodo paucis antè diebus orationem habui, breuiorem tamen aliquanto quàm ſcripſeram, ne Auditores à rebus grauioribus diutiùs remorarer, eam, animi mei decreto perpetuis damnandam tenebris, amicorum hortatu ac penè conuicio coactus in lucem proferre, tibi, SCIPIO humaniſſime, inſcriptam prodire volui. Cuius enim in ſinum patrocinij cauſa illa libentiùs confugeret, quàm in tuum? Quandoquidem tibi Res ipſa, de qua hîc agitur, vel ab indole ingenij magnum quiddam ac pulchrum minante, vel ab inſtitutione domeſtica, quòd continenter Paterna voce fingeris ad rectum & virtutem, ita commendata eſt,

vt pro tua virili parte Sacerdotalem Grauitatem ſaluam fore in illius verba iuraſſe videaris. Alliciebat etiam me Humanitas iſta rara ſed præclara Grauitatis comes. cuius arcana quadam & hamata vi animos capis, & rapiens in amorem tui libentes captiuos adiungis tibi. non aliter atque ille Scipio, *qui domita nomen ab Africa Lucratus redijt*, eos ſibi quondam fertur adiunxiſſe. Qui ex Polybij præſcripto in eam curam ſedulò incumbebat, nequando è publico domum referret pedem, quin ſibi aliquem eorum, in quos inciderat, familiaritatis vinculo ſuauiter obſtrinxiſſet. Animum certè meum iam inde ab illo tempore arctiſſimè obligaſti, cùm Illuſtriſsimi Patris tui iudicio mihi licuit aliquam pro tenuitate mea Familiæ veſtræ operam nauare. ex quo tempore ea mihi aura veſtræ benignitatis afflauit, vt iſti Domui perpetuum me clientem addixerim. Hoc igitur ipſum teſtatum vt apud omnes relinquam, munus tibi offero nullius pretij, quod tamen, te accipiente, in aliquo fortaſſe pretio fuerit. In eo pro tua humanitate, ſi nihil aliud, voluntatem certè accipies: & in vulgari munuſculo meam in te obſeruantiam minimè vulgarem agnoſces. Vale.

ORATIO.

MAXIME vellem hodierno die (ILLVSTRISSIME PRAESVL, Sacrorum Antiſtites vigilantiſsimi, Auditores doctrina & nobilitate clariſsimi) vt in hoc tantorum Virorum tam frequenti cœtu, collectoque ex vniuerſa Senenſi Ciuitate ac Diœceſi Sacerdotalis Ordinis Flore alium quemlibet potiùs, quàm me ex hoc ornatiſsimo loco dicentem audiretis. Sed quando ſic placitum eſt ei, qui ſacra manuum impoſitione me Sacerdotio inaugurauit, vt in hac Sacerdotum panégyri, in his Comitijs anniuerſarijs (in quibus ex veteri conſuetudine precor, vt quibus de rebus in hoc Auguſtiſsimum Templum conueniſtis, eę res vobis bene ac feliciter eueniant) ego potiſsimùm verba facerem; illius admonitu, qui pro ſua in me nimiùm propenſa humanitate tantum mihi tribuit, quantum optare vehementer debeo, vt merito tribuatur meo; etſi non ignorabam, quantum mihi oneris imponeretur; auctoritati, vel cum exiſtimationis meæ periculo, obtemperandum iudicaui. Neque enim eram pectoris tam obtuſi, vt non intelligerem, quàm periculoſum eſſet homini nunquam ad hanc diem extra domeſticos parietes declamare ſolito repente prodire, vt ita dixerim, ex vmbra in lucem ac ſolem, ad orationem habendam in ampliſsimo Sacerdotum Senatu, hoc eſt, vt ego Diui Petri ſententiam ſecutus interpretor, in Conſeſſu Regum. Non enim video, quamobrem hanc honorificentiſsimam appellationem ego non veriùs tribuere poſsim Ordini veſtro, Sacerdotes; quàm Romano Senatui Cineas ille Pyrrhi Regis Orator Sapientiſsimus Romanam renuntians legationem feratur aliquando tribuiſſe, cùm diceret, Senatum illum ſibi fuiſſe viſum *Regum multorum conſeſſum.* Quo magis exopto, magis etiam pertimeſco, vt mihi digna Sacerdote, digna Sacerdotum Senatu, digna Senatus Principe oratio concedatur. Quamquam me quodam timoris quaſi fulmine proſtratum alleuat, & afflictum erigit, & diffidentem confirmat præclaræ Benignitatis veſtræ cogitatio. Cuius tanta mihi lux in hiſce for-

midinis tenebris oboritur & affulget, vt veniam prolixè polliceatur, ſi quid forte peccauero, & voluntate mea maioribus morem gerēdi, vobisque inſeruiendi ſatis ſibi factum arbitretur. maximè cùm animaduertam, etiam DEVM Opt. Max. cuius vos & vicem in terris geritis, & imitatione gloriamini, in cultu ſuo non tam accuratis adorantium precibus, quàm alacri volūtate & ad ſe ipſum colendum parata gaudere. Tam fauſto igitur omine dum ad dicendum ſecurus, quod bene vertat, aggredior, quæſo, mihi vt detis hanc veniam vobis accommodatam, &, quemadmodum ſpero, non iniucundam: vt me hoc Sacerdotum concurſu patiamini de Grauitate Sacerdotibus retinenda quam breuiſsimè quid ſentiam explicare. Quam inter alias virtutes Tito commendandam cenſuit Apoſtolus, cū illa ſcriberet: *In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum in Doctrina, in Integritate, in Grauitate.* Quod quidem argumentum prima ſpecie fortaſſe cuipiam leue, & nullius prope ponderis ac momenti videatur: ſed introſpicienti, & penitus intuenti, graue, & ſerium, & minimè contemnendum ab Hominibus diuino miniſterio addictis apparebit. Poſtquam ergo oſtendero, quantùm Grauitas deceat Viros in Eccleſiaſticum Ordinem cooptatos, quibus ex rebus maximè oriatur, & quis ex ea fructus potiſsimùm colligatur; tum, vtcunque meo defunctus munere, perorabo. Atque vt à primo capite exordiar, ac demonſtrem, quàm decora ſit Hominibus diuino cultui conſecratis in ore, in oratione, in inceſſu, in rebus agendis, in ſacrorum procuratione dignitas quædam, ac ſeueritas; nónne ipſum Sacerdotis nomen arguit in tali homine Grauitatem? Presbyteri, hoc eſt Seniores, iam inde ab ipſis Eccleſiæ naſcentis incunabulis appellati ſumus: tum propter ſenile cōſilium ac ſeniles mores, quibus ornati atque inſtructi eſſe debemus, tum propter ſenilem ſeueritatem & Grauitatem, cuius tenore noſtra vel dicta vel facta omnia temperari conuenit ac moderari. Præclarè hoc, vt omnia, Gregorius ille Pontifex Magnus Nomine, ſed Dignitate, Sanctitate Sapiētia ter Maximus: *Senes ſunt Sacerdotes: quorum officium quia Grauitate magnæ honeſtatis impenditur, à religionis pondere nulla puerili leuitate vacuatur.* Nonne hoc ipſum tacita clamat Senatoria veſtis ad talos demiſſa, & à populari ſemper diuerſa, quam Clerici geſtamus? in quam quotieſcunque intuemur, toties de Clericali Grauitate videmur admoneri. quemadmodum admoneri ſe putabat à barbâ ad vmbilicum vſque promiſſa Lacedæmonius ille ſenex bene barbatus. Qui, cùm ex eo quæreretur, quamob cauſam barbam

geſtaret ſiluoſam ac prolixam, dicitur percontanti reſpondiſſe, *Illud ſe facere, vt canos intuens, nihil committeret illis indignum.* Adeò bonus ille vir vndecunque ſtimulos ad Virtutem conquirebat. At leuioribus rationum momentis prætermiſsis, videamus ipſa dignitas, ac miniſterium quàm procul ab Hominibus Deo ſacris omnem profanam iubeat abeſſe leuitatem. Pro comperto habeo, neminem veſtrum eſſe, quin legerit, aut certè inaudierit, id, quod auctores grauiſsimi litteris conſignatum reliquerunt, Pleraſque nationes, quarum animi cæcis errorum tenebris circumfuſi, eam, quæ nobis cælitùs affulſit, cognitionis diuinæ lucem adſpicere non potuerunt, tantum Sacerdotibus tribuiſſe ſuis, vt omnia tum diuina tum humana maioris cuiuſdam momenti, quæ ad Remp. adminiſtrandam pertinerent, illorum voluerint arbitrio temperari. Quod ipſum non ita pridem Cæſar Baronius Cardinalis non à Dignitate modò, verùm etiam ab Eruditione, & Probitate Illuſtriſsimus Annalium ſacrorum monumentis commendauit. In quibus illud quoque memoriæ prodidit, Apud veteres Hebræos, antequam benigniſsimus humani generis Liberator ardentiſsimę caritatis impulſu dignaretur humanam naturam & imbecillitatem inducre, commodare ſe mũdo, & concilijs intereſſe mortalium, vt ſanguine ſuo crimina lueret aliena, totoque terrarum orbe pace partà, Cœlum aperiret, Summam rerum penes Sacerdotes fuiſſe, ipſoſque Reges ad Imperij gubernacula ſedentes aſſurrexiſſe venerabũdos, ac paruiſſe Pontifici: qui iudicio & auctoritate ſua moderabatur Magnum illud Concilium Sanhedrin ſeptuaginta duûm Seniorum: cuius erat de Lege, de Rege, ac de Propheta iudicare. Sed & ipſemet Dei Filius de Cælo miſſus Soſpitator noſter, cum Regia ſimul & Sacerdotali poteſtate præditus eſſet, in Chriſtiana Repub. inſtituit, permanſurũ donec homines erunt, Regale Sacerdotivm: eique tamquam maiori Regna omnia orbis terrarum obſequij & venerationis ergò cedere faſceſque ſubmittere imperauit. Quamobrem Sacroſancta Pontificum ſcita non immeritò Sacerdotium Regno anteponunt, cum ita decernunt: *Quanto anima corpore præſtantior, tanto eſt Sacerdotium Regno excellentius: ligat enim aut ſoluit ſupplicio vel remiſsione dignos.* Ita profectò ſe res habet. Reges imperium obtinent in caduca hæc & moribunda membra, habentque definitam aliquam in terris regionem, cuius terminis illorum imperium ſeptum teneatur: Sacerdotes autem in animos immortales dominatum exercent: contemptiſque terrarum anguſtijs & humilitate, non inſania quadam gigantêa,

ſed indulgentia diuina Cælum petunt: Cæli fores pro poteſtate claudunt ac reſerãt: & ante præſtitutam magno iudicio diem de mortalium capitalib. noxis ſacras lites dijudicando quæſitores cognoſcunt. O Sacerdotum dominatum ampliſsimum adeò, vt ſemper videat ſibi nunquam occidentem ſolem! vt de illo poſſit veriſsimè dici, quod de Imperio Populi principis terrarum cecinit olim Poëta non ignobilis: *Diſperſit cum ſole manus.* O Sacerdotum Imperium ita longè, lateque patens, vt refractis quodammodo mundi clauſtris, prolatiſque finibus vltra Oceanum, extra anni ſoliſque vias, ne regionibus quidem illis, quibus terrarum continetur orbis, circumſcribi poſsit, ſed adſpectabilia omnia ſupergreſſum, Cęlitum beatiſsimam ciuitatem, Aeternique Regis aulam ingrediatur! Cum igitur omni mortali faſtigio maior ſit Sacerdotis dignitas & poteſtas, quanta illi in vultu, in verbis, in actione maieſtas ineſſe debet: nequis cęleſtis Nuntius eum meritò poſsit increpare: quemadmodum Troianum Heroem Carthagine deſidentem, & deturbatum de ſtatu mentis amatoria veſania nihil iam altum, nihil ſublime cogitantem fictitius ille Iouis internuntius aliquãdo increpuit: *O Regni, rerumque oblite tuarum*! Hanc autem Grauitatem ac maieſtatem cùm in omni actione, tum vel maximè in Sacris functionibus à Sacerdotibus conuenit retineri. Etenim, vt tritum eſt iam omnium ſermone & linguis omnium peruulgatum, Epiſcopi ex inſtitutione dominica in duodecim Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, reliqui verò Sacerdotes ſubſtituti ſunt duobus & ſeptuaginta Diſcipulis (qui etiam Seniores & Presbyteri appellabantur) eo videlicet diuino conſilio, vt eſſent CHRISTI Vicarij ac Miniſtri, &, quemadmodum D. Paullus arcanorum cęleſtium interpres ait, *Diſpenſatores myſteriorum DEI.* Quorum adminiſtratione, illa diuini amoris nota, quam maiores noſtri Gratiam dixere, in illorũ animis illicò exiſteret, quibus, conceptione verborum ſolemni, Sacroſancta illa diuinę rei ſymbola ritè impertirentur. Quid, quòd in ſingulos dies illis operamur ſacris, quibus DEVS rerum opifex & moderator, cuius conſpectum Beatę illę mentes in cęlis theatrum ſempiternę felicitatis habent, in templis & aris pręſtò eſt: & Hoſtia Maxima in anguſtiſsimum ſed auguſtiſsimum Orbem inexplicabili prorſus ratione concluditur? Glorientur licet apud Poetas Magicę artis periti, pręſtigiatores vaniſsimi, & inferis deuota capita, ſe carminibus poſſe Solem, Lunam, ſidera Cælo deripere. Prodigialiter mentientium eſt huiuſmodi gloriatio. Nos, nos, Sacerdotes, citra omne mendacium poſſumus

gloriari,

gloriari, ſacro illo carmine, ſacra, inquam, verborum formula è cælo in terras, vt ita dixerim, euocari Siderum, rerumq; omnium opificem & conditorem. Illum quotidie ſacratis manibus contrectamus, qui totam hanc rerum vniuerſitatem manu complectitur: qui vaſtiſsimam mundi molem digitis fulcit, nutuque moderatur ac regit: qui omnibus quęcumque viuunt, mouentur, ſunt, ſpiritum, motum, vim momenta per ſingula impertitur: & tantus DEVS nihil grauatur ſingulis diebus vnius hominis voci obedire, attrectari manu, ore ſuſcipi: vt homo quodammodo exuta mortalitate mutetur in DEVM. Hem ille homo, qui in amœniſsimis hortis olim Stygij ſerpentis inuidia actus in fraudem, guſtato exitiali pomo, tamquam Circęo aliquo epoto poculo, protinus ex homine factus eſt bellua, benigniſsimi Liberatoris morte reformatus in hominem, hoc Cęleſti Pabulo refectus, efficitur ex homine repente DEVS. Ex quo planè apparet (vt breui diuerticulo à re propoſita deflectam, quanquam de Sacerdotum probitate, ceteriſque virtutibus alij ante me ſuperioribus annis ex hoc ipſo loco grauiter copioſeque dixerunt) apparet, inquam, liquidò, quam & quantam perſonam Sacerdotes in Chriſtiana Repub. ſuſtineant, quantoque virtutum omnium concẽtu illis ad ad aram accedendum eſſet. idque eò etiam magis illis perſuaſum erit, ſi meminerint, quod à Tertuliano viro non vulgaris auctoritatis Angelorũ nomine Sacerdotes conſueuerunt appellari. ſunt nimirum Angeli, *Qui portant orbem*. Nec temerè, inconſultéque illi ipſi quondam apud Gręcos honoris cauſa Sancti dicebantur, ob morum, vt opinor, ſanctitatem, qua, velut pręlata face, populo pręlucere debent: ſi D. Gregorio Nazianzeno, cui à diuinorum ſcientia Theologo fuit cognomen, fidem habemus: cuius eſt memorabile illud: *Sacerdotis officium cæleſtem quandam vitam requirit*. Quæ quidem cogitatio ſanctiſsimorum quorundam hominum pectoribus tam altè inſedit, vt Sacerdotale onus, cui ſe ferendo impares arbitrabantur, immane quantum pertimuerint. Inter quos ita eminet, vt meritò familiam ducat, Diuus Franciſcus Chriſtianæ humilitatis, diuinæ caritatis, omniumque virtutum exemplar & magiſter egregius. Ille enim, cum ſe ceteris ordinibus, etiam ſacris, initiari paſſus eſſet, ſic obfirmatus in Diaconatus gradu reſtitit, vt nullis vel cohortationum, vel obſecrationum machinis tanti viri animus generoſa quadam modeſtia obarmatus expugnari vnquã potuerit, vt ad Sacerdotium, à quo auidè expectabatur, vellet adſcendere. O virum vel hoc ipſo digniſsimum Sacerdotio, quòd cum

omnium optimè Sacerdotem agere poſſet, Sacerdotium tamen conſtantanter ac fortiter recuſauit! O nos felices, ſi tam admirabilem animi demiſsionem, quando ante Sacerdotium æmulati non ſumus, in Sacerdotio ſaltem, vtcunq; poſſumus, æmularemur! Felices etiam (vt ad propoſitum reuertamur) noſtra ſi bona nouiſſemus! ſi perpenderemus anguſta noſtra pectora domos eſſe, quas diebus ſingulis Maximus Hoſpes non dedignetur implere! Nolite hoc loco expectare, dum oratione demoſtrem, quàm grauiter Deiferi, & Deo pleni vel in tanto miniſterio vel ſub ipſum nos gerere debeamus: cum quotquot annis quiſq; noſtrum non ſine admiratione legerit, equum illum Ioanni Etruſco Pont.Max. commodatum, ex quo ſemel dorſo Christi Vicarium excepit, ſeſſorem quemlibet illo minorem indignatũ fuiſſe. vt minus iam miremur decantatũ Alexandri Bucephalum: qui ſimul atque ornatus erat, & armatus ad prælium, haud vnquam iuſcendi ſe, niſi ab illo Rege, paſſus eſt, quòd crederetur quem veheret non ignorare, & equite quodammodo ſuperbire.

Sed quoniam fortaſſe nimiùm multis, quantum Grauitas deceat Sacerdotem, oſtendi; paucioribus deinceps planum facere conabor, ex quibus illa velut fontibus manet, ac fluat. Ac mihi quidem in hanc rem attentiùs intuenti morum internorum Grauitas externorum Grauitatem morum videtur maximè procreare. Etenim haud facilè fieri poteſt, vt perdiu ſimus ore compoſiti, niſi & animo tales ſimus, vt aliud mente voluamus, aliud facie polliceamur. Quemadmodum autem apud Platonem Socrates corpore conſtantium rerum pulchritudinem diuinæ pulchritudinis tamquam radium, & imaginem exiſtimat; item ego non temere fortaſſe hanc, quam toties laudo, Grauitatem, Virtutis velut radium, atque imaginem poſſe arbitror appellari. Non igitur opus eſt ſimulatione, vt graues ore videamur, niſi animus rector & dominator corporis ori moderabitur. ne forte id ipſum nobis accidat, quod Lucianus impius ille Diuini Numinis contemptor, & Gregorius Nyſſenus Epiſcopus ſanctiſsimus, idemque grauiſsimus auctor Aegyptio cuidam ſiue circulatori, ſiue Regi, narrant aliquando contigiſſe. Qui aliquot ſimias, animantes, vt nouimus, humanos geſtus maximè exprimentes, ita inſtituit, vt ſaltandi numeros, rationemque perdiſcerent. Illæ artem breui tempore edoctæ, aptatis ſibi perſonis mulierculas exprimentibus, purpureis indutæ veſtibus gemmis auroq; illuminatis, cum ingenti ſpectantium admiratione plauſuq; iamdiu choreas agitabant: donec facetus quidam è ſpectatoribus nuces

in medium proiecit. quas pulchellæ Nymphæ ſimul ac viderunt, illico ſaltationis oblitæ, perſonas abijciunt, pallas pretioſas dilacerant, non ſine maximo ſpectantium riſu ac ſibilo pro nucibus, tanquam pro aris ac focis, inter ſe depugnant: factumque eſt, quod vates quidam cecinit: *Ficta citò ad naturam recidunt ſuam*. Prudentibus ergo viris cauendum eſt diligentiſsimè, ne ſint in eorum numero, qui ſanctitatis perſonam malunt, quàm ſanctitatem ipſam. propterea quòd perſonati pueris imponunt, non imponunt viris: quibus facile eſt ſimulationem à veritate internoſcere: maximè autem, cum Veritatem dies aperiat, mendacium verò tenue ſit, ac perluceat, ſiquis diligenter inſpiciat. Vt igitur nihil in nobis fictum, ſimulatum nihil deprehendatur, dum omni ſtudio curamus, vt externa humanis oculis approbanda dirigantur AD AMVSSIM, pari, atque adeò maiori ope nitamur, vt interna oculis probanda diuinis, ita ſint ad vnguem emendata, vt de illis verè poſsit affirmari: MELIORA LATENT. Cum Grauitati Sacerdotali tamquam matrem inuenerimus, par eſſe videtur, vt eidem aliquam velut altricem, vnde conſeruari poſsit, inquiramus. De qua ego quid cenſeam? nempe accedam ſententiæ prudentium virorum: qui ſolitudinem quandam moderatam, & vulgaris familiaritatis fugam illam eſſe concordiſſimis ſententijs cenſuerunt. Nam ſiqui fortè reperirentur ex Hominibus diuinarum rerum miniſterio addictis, qui decori Sacerdotalis non ſatis memores, ad tempus fallēdum, totos dies in ludis ac iocis laicos inter conſumerent: vel, ad diem condendum, otio marcentes inter aniles fabellas & ægrorum ſomnia ac deliramenta fori ſedilia contererent: vel circulatoribus, mimis, & nugatoribus circumfuſi, attonitis oculis animiſque ſtultorum miracula ſpectarent; quânam ratione homines id genus Grauitatem ac maieſtatem ſuam retinere poſſent? Hæc aliáque huiuſcemodi oblectamenta vulgaria & mala mentis gaudia relinquenda ſunt à Sacerdote homuncionibus quibuſdam è vulgi fæce malè feriatis, in deſidia tanquam ad Sirenum ſcopulos conſeneſcentibus, languentibus in otio viui hominis ſepultura. quibus (vt de nonnullis pecudibus dixit nō illepidè Chryſippus) *Anima pro ſale videtur data fuiſſe, ne putreſcerent*. Nimia inquam populi familiaritas nobis fugienda eſt. ſiquidem nimis affabilium Sacerdotum auctoritas ipſa conſuetudine ſenſim & ſine ſenſu euaneſcit. & qui ſtudent haberi multum ciuiles, eos cauere oportet, ne pro ciuilibus efficiantur viles. cum ita natura comparatum ſit, vt pleriſque ignota pro magnificis habeantur.

tur, & raritas ferme rebus conciliet admirationem; contrá verò continuus adſpectus minus verendos homines ipſa ſatietate faciat. Ex quo factum eſſe opinor, vt Plato ille Pater familias Academicorum in Timęo inſtitutum Aegyptiorum & Athenienſium mirum in modum laudauerit, qoòd apud illos populos Sacerdotes ab omni turba ſegregati vitam agerent. Id quod fortaſſe didicit, ſicut alia permulta, è ſacrarum monumentis litterarum. Vbi conſtitutum fuiſſe legimus, vt Octo & quadraginta ciuitates Sacerdotibus & Leuitis ſepararentur. Neq; hoc ſine prudenti ratione ſtatutum videtur. Siquidem quorum mores à vulgi moribus longè abeſſe oportet, eorum conſuetudo non debet eſſe vulgaris: cum ea ſit conſuetudinis & familiaritatis vis, vt pares aut accipiat, aut faciat; & iuxta illud aureum Taciti præceptum, ſit *Maieſtati maior ex longinquo reuerentia*. Neque verò Sacerdotes tot Heraclitos eſſe optauerim, vt horrido ſqualore obſiti, & dira macie deformati ſemper lugentes in publicum prodeant. Eſt interdum ſeria frontis explicare, atque in loco animum, vultumque exhilarare. Nam etiam Craſſus ille Licinius, quemadmodum è Lucilio Diuus Hieronymus vir ſanctiſsimus memoriæ prodidit, quamuis eſſet natura ſic ad ſeueritatem factus, & à ridendo alienus, vt ἀγέλαστος diceretur; cùm fortè vidiſſet aſinum carduos depaſcentem, riſiſſe tamen ſemel in vita dicitur, quòd *Similes haberent labra lactucas*. Et Cato vir alioqui adeò ſeuerus & grauis, vt omni comitati atque hilaritati ſempiternũ indixiſſe bellum videretur, interdum tamen, vt ex Seneca didicimus, conuiuio laxabat animum curis publicis fatigatum. Sed hoc contendo, ſic Seueritatem Comitate eſſe temperandam, vt qui decreuerint ſe hilaritati tempeſtiuæ paulliſper commodare, exceptionis Apoſtoli ſint memores, Eatenus gaudendum, vt ſemper Modeſtia in gaudio conſtet: ſic alteram alteri admiſcendam eſſe, ne aut Seueritas imminuat Amorem, aut Comitas Venerationem. Quæ quidem veneratio, vt ad poſtremum orationis caput aliquando tranſeamus, eſt Grauitatis ac ſeueritatis fructus multò vberrimus. Quanti verò huiuſmodi venerationem facere debeant Viri creati ſacris faciundis operæ pretium eſt breuiter cognoſcere. Nemini dubium eſt, quin Sacerdotes ſint morum magiſtri, & aliorum hominum vitæ cenſores: quorum ad præcepta, & exemplum componitur Chriſtianus Orbis vniuerſus. Non enim ſine cauſa à Seruatore Lvx Mvndi in Apoſtolorum perſona fuerunt appellati. Propterea quòd quemadmodum Sol ſiderum princeps, cuius luce omnia

veſtiuntur, & animantur calore, diem ſua præſentia terris affert, acceſſuq; ac receſſu ortum atque interitum mundanis rebus importat; ita Sacerdos luce ſanctitatis & doctrinæ ceteros homines illuſtrat, ſpiritu & vita meliore impertit, & humano generi, qui PARVVS MVNDVS ab Ariſtotele, humanis animis, qui RATIONALIS MVNDVS à Platone appellatur, rectis vel prauis actionibus ſalutem vel exitium parit. Sed, per DEVM immortalē, quânam ratione poterit reuocare ambitioſos ad modeſtiam, cupidos ad beneficentiam, libidine tabeſcentes ad pudicitiam, ira furentes ad clementiam, voraces ad abſtinentiam, ebrioſos ad ſobrietatem, temerarios ad prudentiam, iniquos ad æquitatem, ignauos ad animi robur, vitioſos denique ad virtutem; niſi harum virtutum ſpecie & opinione ita ſe effecerit antea venerabilem, vt auctoritatem obtineat apud eos, quos monet: quò cohortationes illius, tamquam amentatæ quædam haſtæ, atque adeò tamquam ignita tela, alta cum impreſsione in Auditorum animos torqueantur? Neque me latet, ad hanc auctoritatem & venerationem longè plus valere virtutem ipſam, quam virtutis ſpeciem in grauibus ac ſeueris hominibus apparentem. Sed tamen hanc etiam ad hoc valere non mediocriter neceſſe eſt: cum ſacrarum litterarum oraculum ſit: *Homo videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Ex quo illud conficitur, vt Sacerdotibus non conſcientia modò, ſed etiam fama verenda ſit, ac multa diligentiſsimè fugienda, quę licet in ceteris hominibus habeantur pro nihilo, à Sacerdotum vita longe abeſſe debent: quippe quos rerum parens & gubernator DEVS ad mundanarum rerum adminiſtrationem ſocios & adminiſtros adſciuit, per quos animarum ſiſteret ruinas, illaſq; ab interitu vindicaret: qui non à malo tantùm, ſed ab omni etiam mali ſpecie iubentur abſtinere: à quibus quod ab alijs datum tamquam probum acciperetur, id ipſum oblatum, velut improbum meritò repudiatur: qui quanto in excelſiore loco & illuſtriore collocati ſunt, tanto magis cauere debent, nequid committant, quod iure profanorum hominum oculos ſatis ſuperque ad inquirendum in Sacerdotum vitam, curioſitate magiſtra, in ſchola temeritatis eruditos poſsit offendere: cùm inſigniores labeculæ ſint, ſiquæ hominibus in tanta luce degentibus adhæreſcant. Quandoquidem hoc habet Sacerdotum conditio, quòd neque bona eorum neque mala eſſe patitur in occulto, ſed omnia foras eliminat: & eorundem non modo domos, ſed cubicula ipſa recludit & aperit, arcanaque omnia, mala præſertim, omnibus cognoſcenda,

ignoſceda nulli, explicat & proponit. Quare de nobis dictum arbitremur, quod de magnæ fortunæ viris cecinit olim vates: *Oportet maximorum minima eſſe vitia.* Quorum vitrea fama eſt, & quàm ſplendet maximè, tam frangitur facillimè: quorum bona exiſtimatio fideique, velut anima, vnde ſemel abijt, eò nulla humana vi redire poteſt: quibus profectò longè præſtat è viuorum numero exturbari, quàm præmortuæ dignitati ſuæ ſuperſtites vitam trahere ipſa morte triſtiorem. Id quod crediderim impuliſſe Auguſtinum virum Sanctitatis & Doctrinæ gloria præcellentem, vt nos, Sacerdotes, hortaretur: *In inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus veſtris nihil fiat, quod cuiuſquam offendat adſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.* Rectè nos admones, vir ſanctiſsime: vt Sacerdote, tamquam Cenſore, præſente, nemo ad indecora verba hiſcere, nemo ad indecora facta ſe commouere audeat. Legimus in veterum Romanorum annalibus, eam fuiſſe Cenſorum auctoritatem maieſtatemq́;, vt, cum Scipio Naſica & M. Pompilius equitum cenſuram agentes percontati eſſent ex quodā equite Romano, Quare ipſe habitiſsimus ac bene curata cute tantopere niteret, ipſius autem equus male habitus, ac ſtrigoſus ita ſqualleret, illeq́ue ioculariter reſpondere veritus non eſſet, *Quoniam me ego curo, equum Statius ſeruus meus;* Cenſoria nota relatus fuerit in ærarios, vt nullum ius Romani Ciuis niſi tributi pendendi retineret. quaſi ſcurrili ioco, & reſponſo minus reuerente cenſoriam læſiſſet Maieſtatem. Quin illud etiam proditum eſt, deliberatum de illius nota fuiſſe: qui cum aduocatus ab amico ad Cenſorem in iure ſtaret, nimis clarè ac ſonorè oſcitauerat: tamquam oſcitatio fuiſſet indicium animi per nimiam ſecuritatem peregrinantis, & Cenſoris præſentiam negligentis. neque hic nebulo ſe deſtinatæ iam notæ exemiſſet: niſi iuraſſet perſanctè, inuitum ſe, ac reluctantem oſcitatione victum fuiſſe, quòd oſcedinis vitio laboraret. Sed, vt omiſsis alienis, veniamus ad noſtra, quanta in vultu Diui Bernardini (quo iure ac merito Senenſis Pietas, & Franciſcana Religio gloriatur alumno) quanta in quam in eius vultu dignitas & cenſoria quædam ſeueritas eminebat! Qui cum eſſet ætate puer, mente ſenex, ſola præſentia flagitioſis ſermonibus malè moratæ iuuentutis altum ſilentium imponebat. O te felicem, Bernardine, cuius non modo flexanima vox amorem Nomenq́ue diuinum ſonans audita, ſed etiam muta facies pudorem ſpirans ac pudicitiam conſpecta potuit emendare! Felices populos, quibus tales cōtingerent Sacerdotes! Facile profectò eſſet ad vitam componendam, &.

peccata tollenda exequi præceptum illius Philoſophi toties à Seneca miris modis laudati : quo auctore, *Aliquis vir bonus nobis eligendus, ac ſemper ante oculos habendus ; vt ſic tamquam illo ſpectante viuamus, & omnia tamquam illo vidente faciamus*. Non temerè igitur nos admonebat D. Auguſtinus de fugiendis omnibus, quæ populares oculos poſſent offendere. ſiquidem vita noſtra populis perpetua cenſura eſt, ad quam illi ſuam, tamquam ad normam, dirigunt : qui ad virtutis officia præſtanda exemplis magis impelluntur, quàm præceptis : & volentes ducuntur, nolentes ſuauiſsimè trahuntur ad illam venerationem Sacerdotio tribuendam, quam paullò antè dicebam contemnendam non eſſe à Sacerdote : quem populi cultu atque honore proſequi, & caritate complecti iubentur, non tamquam hominem inter homines natum, ſed tamquam de Cælo delapſum, nou tamquam hominem eiuſdem conditionis ac ceteros homines, ſed tamquam aliquem in terris mortalem DEVM. Hactenus pro mea tenuitate ac ieiunitate oſtendere conatus ſum, Grauitatem Sacerdoti apprimè decoram eſſe ; eam ex vitæ ſanctimonia potiſsimum, ſed aliqua etiam ex parte ex receſſu & vulgaris familiaritatis fuga emanare ; eandemque Sacerdotalem vitam profeſsis reuerentiam quandam & obſeruantiam conciliare. Supereſt nunc, Vobis vt gratuler, Sacerdotes, quòd hæc, quæ à me dicta ſunt, vos longè meliùs vita, moribuſque exprimatis, quàm à me oratione ac verbis vtcunque explicata, vel potiùs adumbrata ſunt. Cum illa me ratio permouerit, vt orationem huiuſcemodi ad vos haberem : quò bona veſtra in oratione mea recognoſcentes gauderetis, &, quaſi ſubditis calcaribus equi generoſiſsimi, ad metam gloriæ & immortalitatis vobis propoſitam magis ac magis quotidie properaretis. Dum enim cogitatis, omnium oculos in vos eſſe coniectos ; nihil à vobis fieri, quod extemplò non incurrat in ora & voces vniuerſæ Ciuitatis ac Diœceſis ; operam datis, vt mirificè mores veſtri cum iſta Dignitate congruant, eamque pro virili parte veſtra priſtinæ maieſtati ſuæ reſtituatis, memores, Sacerdotes eſſe ſalem terrę, Lucem mundi, ægrorum Medicos, errantium Duces, Eccleſiæ coronam, Atlantes Chriſtianæ Reip. Cœleſtis regni ianitores, CHRISTI Vicarios, DEI Opt. Max. internuntios. Atque ita prudenter faciunt, qui ſibi propoſuerunt imitandos Sanctiſsimos illos Heroes Chriſtiani nominis auctores : qui initio vel naſcentis, vel adoleſcentis Eccleſiæ, aureo illo & ſanctitatis fecundo ſæculo Orbem terræ non tam paſsibus, quàm rerum ſanctiſsimè geſtarum gloria peragra-

runt. quippe qui immortalitatis poſthumæ candidati, omnes vel tyrannorum vel fortunæ minas habentes pro nihilo, illud cauentes vnum, ne morerétur poſt mortem, deuota morti pectora, ſanguinis & vitæ prodigi, magno animo non dubitabant opponere tormentis omnibus, quæcumque excogitare poterat in bonorum perniciem eheu nimis ingenioſa crudelitas. Quanquam ne longius diſcedatis, neu foris exempla quæratis imitatione exprimenda, habetis domi Præſulem virtutũ omnium exemplar emendatiſsimum. Qui cum optimè nouerit, Exemplum eſſe fidiſsimum recti præceptorem, ipſe primus facit, quæ præcipit facienda. De quo mihi dicere præſente poſſum, quòd magna vi opus ſit ad illius modeſtiam expugnandam. Sed quando de laudibus illius pietas in illum mea iubetur conticeſcere; extrema hæc Te appellabit oratio, Metelle Senarum Cardinalis Ampliſsime, Romanæ modò purpuræ eximium decus. Qui, poſtquam tua Te virtus, emeritis mortalis vitæ ſtipendijs, meliore dignum vita, vt par eſt credere, Cœlo intulit; longum tui deſiderium nobis omnibus reliquiſſes; niſi antequam iuberes mortalia valere, Probitatis imaginem tuæ talem Tibi ſocium ac ſucceſſorem delegiſſes. Præclarum hoc tuæ moderationis argumentum eſt, quòd non modo ſucceſſorem Archiepiſcopatus, ſed etiam participem ac ſocium adamaſti: cum ſucceſſor etiam nolenti ſit habendus, ſocius non detur, niſi volenti. Neque vllâ re magis approbari videtur animi magnitudo tua, rectiſsimaque huius Eccleſiæ procuratio, quàm quòd optimus perſimilem Tibi ſubſtituere non dubitaſti: nec Tibi neceſſe fuit ad callidum illorum remedium confugere, qui malè cum Rempub. adminiſtrauerint, dant operam, Succeſſorem vt relinquant longè peiorem, quò comparatione deterrima ſubiectorum votis ad gubernacula ſæpius reuocentur: ſed optimus cum eſſes, Tibi quam ſimillimum elegiſti: vt poſſes in noſtrum omnium animis per gratitudinem & amorem etiam poſt mortem quàm diutiſsimè viuere.

DIXI.

2 1 15
23
BB 855809

MC